

GADES AB OCCIDVIS INSVLÆ PARTIBVS.



GADES, hodie Calis, in capite Hispaniæ Beticæ insula est, protensa secundum veteres instar fasciæ, sic dictæ, quasi terræ ceruix, propter cōtinentis angustiam, vtrimq; breue illud fretum constringentis. Continenti, quemadmodum nunc Pelopōnesus, olim adhesisse, & Isthmus fuisse putatur. Nam olim mare Mediterraneū inclusum fuit, nec Oceanus in illud, nec hoc in Oceanum influebat, eratq; siccus transitus à Calpe monte in Hispania, ad Abylam in Africa, qui Herculis columnæ appellantur, fortasse, quod ipse ibi mare in Oceanum emiserat: de qua re, & de onere, & de stagnatione, & fremitu, & tumore maris inclusi, multa Strabo, & leuicula iucunda, & scitu digna operosè scribit. Quod & Plinius, & Plato, & Seneca affirmant, qui de causis rerū, post multas multorum Philosophorū, opiniones, tandem & ipse quoq; de sua sententia adiungit: Sic & Hispanias à contentu Africa, mare eripuit. Pari ratione & Sicilia ab Italia crepta, ac separata fuit. vtriusque rupturæ & auulsionis hæc sunt Valerij: Flacci carmina.

*neque enim Rex Aeolus illic
Rektor erat, Libyam cum rumperet aduena Calpem
Oceanus: cum flens Siculos Aenotria fines
Perderet, & medijs intrarent montibus vnda.*

Est in eadem insula, eiusdem quodque nominis vrbs celebris, cuius frequens est apud historicos mentio. Ante Herculis aduentum dicebatur Tartessus. Postea verò, quàm Hercules ad eam peruenit, statuitque in ea columnas ad æmulationem alterius Herculis Aegyptij, qui alias columnas statuerat ad alteram Libyæ oram, secundum Diodorum libro quarto, ab ipsis columnis erectis, Gades Herculis insula, & illius vrbs appellata est. Hæc Priscianus. Quamquam Strabo libro tertio referat, Polybium dicere, eam regionem, quæ circa Bætiam est, cognominari Tartesum. Gades verò prius Erytheam vocitatum cum duabus adiacentibus insulis. Dionysius Alexandrinus insulam vocat maximè occiduam extremas Gades, in medio portarum, quæ iuxta Iberiam sunt, vnde etiam Ibericæ vocantur teste Arriano. Est autem insula illa non multò maior centum stadijs in longitudinem, in latitudinem verò alicubi ad stadij vnius spatium patet. Gades verò in finibus Oceani sita sunt, nempe iuxta occiduum mare, Cotinusa prius ab hominibus vocata, quasi *κοτινώσα*, id est, multis *κοτινώσις*, hoc est oleastris referta, postea verò Gades ab incolis dicta, vbi Iouis filium Herculem coli ait: qui vel Thebanus erat Hercules, vel iuxta quosdam Phoenix, id est Tyrius, nam & Phœnices olim in insulam illam colonias traduxerunt. Cum enim negotiatores essent Phœnices, & in omnes regiones nauigarent, ibi etiam habitarunt, Gadesq; propter loci angustiam, quasi terræ ceruicem vocarunt, vt paulò antè est dictum. Quod autem Phœnices eò Colonias traduxerint, Dionysius Alexandrinus indicat: Phœnicesq; vsque in Iberiam (inquiens) & Allam, & extra Columnas, colonias duxerunt. Arrianus etiam Tartesum ait à Phœnicibus esse conditam. Aelianus præterea in libello de Prouidentia: In Gadibus, inquit, ara Anno erecta est, aliaque Mensi, in honorem temporis breuioris & longioris. Est præterea apud eosdem (inquit) templum Senectuti extractū, quod ætati multa edoctræ hunc deberi honorem existiment. Aliud verò Morti, in cōmunis quietis honorem, quod hic sit vltimus omnium terminus. Ad hæc, ara apud eosdem posita & paupertati, & arti, illi quidem, placandæ eius gratia: huic verò, tanquam parato contra illam remedio futuro. Ceterum nauigandi quoq; peritia excellent Gaditani incolæ: vnde, licet in extremis sita insula, celeberrimum tamen est nomen sortita. Quin & Gaditanæ puellæ ab historicis olim commendatæ, quod ad qualemcunq; musicum concentum & numeros, elegantes choreas, atque tripudia ducere norint. Quæ hac etiam ætate à maiorum festiuitate non degenerant. Sed Dionysium ipsum, quem aliquoties citauimus, de Gadibus loquentem audiamus.

*Porro in medio sub vespertinis columnis,
Extrema Gades apparet hominibus,
Insula è circumflua, in finibus Oceani,
Ibi Phœnicum hominum genus inhabitant,
Venerantes magni Iouis filium Herculem:
Atque hanc quidem incolæ, à prioribus hominibus.*

Sed in hunc Gaditanum Herculem liber paulò accuratius inquirere. Quem, qualemcunq; scriptores statuunt, nos Herculem custodem, siue limitaneum, aut Herculem Marchusianum existimamus. Doctrè fabulatur Poëta, Herculem, opera quæq; laboriosa atq; ardua in vsum humanū perpetrasse, cum orbem terrarum peragrasset. Atque ipsum monstra, non solum sustulisse, hoc est, subuertisse tyrannides, potentatus prauos coercuisse, atq; nefaria malignorū puniisse scelera, verum etiam desertis in terris, vrbes, oppida, & castra condidisse portus & naualia construxisse, vias difficiles & imperuias munivisse, damno sa auertisse flumina, & fluctibus marinis opposuisse claustra, hoc est, terminis, legibusq; iustis inter discordes populos diremisse bellorum femina, pacem atq; amicitias vbiq; conciliasse, negotiationibus atq; commercijs, inter ignotas & longè distitas gentes viam aperuisse. Et, propter hæc similiaq; beneficia, templis vbi que locorum, & diuinis honoribus cultum, cognominaque, vel à factis, vel à locis, in quibus colebatur, diuersa sortitum ferunt. Hinc Gaditanum Herculem dictum, quia in hac Insula Geryones olim habitasse, à quibusdam existimatur, cuius armenta Hercules abduxerit: quem quidem Geryonem Hispaniæ Regem trimembrem finxerunt Poëta, quia tribus insulis præfuerit. Et bicipitem habuisse canem, quia nauali & terrestri certamine plurimum potuerit; Hunc Herculem viciisse, qui ideo fingatur ad eum olla ærea transvectus, quod nauem habuerit fortem, & ære munitam. Cuius beneficij Gaditani memores, in altero insule suæ cornu, Herculi templum erexerint, ipsis religione, opibus, & vetustate illustre, de quo, cur sanctum sit (inquit Mela) ossa eius ibi sita, efficiunt. In hoc templo Alexandri Magni imaginem conspexit Cæsar, referente in eius vita Suetonio. Porro, inter alia Herculis cognomina, quæ sunt quamplurima, Hercules custos, in vetustis monumentis vocatur. Romæ in nona regione, ad circum Flaminium, ædes Herculis custodis fuit, adiuncto (vt videtur) templo Musarum, vt ille harum, sicuti dux, ita custos esset. Ouidius in Fastis Herculis huius meminit, ita canens.

Alter pars Circi custode sub Hercule tuta est.

Ita & Hercules Musagetes, id est, ductor & custos Musarum. Custos igitur Hercules fuit, vt Musarum, ita rerum cæterarum omnium, quas defensione sua tuetur. Hinc Herculi vestibula templorum & Regionum introitus primi ad custodiendum dedicantur, quod in ijs tuendis & prudentia, & fortitudine maximè opus: quæ ambæ

VITTA.